740.

331

II

Martinus Luther pio Lectori. Gratiam et pacem

Benedictus deus et pater domini nostri Jhesu Christi, qui nos
hoc saeculo rursum benedixit omni benedictione spirituali
caelestium rerum, et abundantia frumenti et vini, electorum
suorum suos saturat, missoque verbo suo, liquefacit Chrystal
lum pruinam et nebulam, ante quorum frigus, hactenus
nemo potuit subsistere. Ex eorum numero est et hic Joannes
Pomeranus. Pomeranus Episcopus ecclesiae Wittembergensis, voluntate dei et
patris nostri, per cuius ministerium tibi charissime lector
donatur hoc psalterium spiritum christi, qui est clavis David,
resignantem. quod ut multis verbis ornem, non est operae pretium
Quod abunde satis tibi ipso, commendatum erit, non meo testimonio
sed suoipsius argumento, quo te coget (si legeris) testificari spi
ritum esse qui loquitur mysteria haec a tot saeculis abscondita.
Nam ut conferri possit tam priscorum quam recentiorum
commentariis, etsi odiosum est statuere, audeo tamen dicere
a nemine cuiusvis extare libri, esse psalterium David explicatum
Essique hunc pomeranum primum in orbe qui psalterii interpres
dici mereatur, adeo caeteri fere omnes, in hunc pulcherri
mum librum tantum opinionem quisque suam carnisque incertam
congessit. Hic vero videtur spiritus certum te docebit in via
vita. Porro et ego aliquando in hoc libro coepi operam
impendere, sed papistarum tyrannis suspendere me coegit
organum meum in salicibus Babyloniae istius. Verum
christus meam sortem vindicavit gloriose. Nam loco
mei unius, cuius stillas noluit ferre Satan, cogitur
plurium et maiorum sustinere tonitrua et cataractas
Ita me oportet minui, illos vero crescere. quare non est
optime lector, ut meum expectes psalterium amplius, sed mecum
gaude gratulare, et gratias age christo salvatori nostro,
qui pro uno Luthero paupere et tenui, iam ipsum meum
David, Isaiae Pauli Joannis atque adeo suiipsius tibi spem
uno rem et copiam fecit, clare et palam, videndi audiendi
et palpandi non unius tantum calamo aut lingua sed
exercitu multo ut ps 67 ait. Gratia tecum, Amen.

2